

Demonstrent verbi diuini amorem, et discendi studium, beneuola horum conuentuum frequentia; et experientur veritatem promissionis Pauli, de replendis Spiritu Sancto animis, ex Psalmodum meditatione.

Ne etiam diuidendus labor careat ordine, sed praeparatio ad habendas in Psalmos disputationes eo commodius ordinari, et elaboratio suscipi queat, totum psalterium in viginti diuidatur sectiones, ita vt quaelibet disputatio, eiusmodi sectionem comprehendat. Sequemur in hac partitione Psalterii, ecclesiam Graecam, quae in totidem confessus seu *καθίσματα* Psalmum publice praelegendum disposuit. Quantum autem Psalmodum numerum vnaquaeque sectio ac disputatio comprehendet, hoc loco indicandum est.

Prima Sectio comprehendet Psalmos I. vsque ad VIII.

Secunda IX -- XVII

Tertia XVIII -- XXIV

Quarta XXV -- XXXII

Quinta XXXIII -- XXXVIII

Sexta XXXIX -- XLVI

Septima XLVII -- LV

Octaua LVI -- LXIV

Nona LXV -- LXX

Decima LXXI -- LXXVII

Vndecima LXXVIII -- LXXXV

Duodecima LXXXVI -- XCI

Decima tertia XCII -- CI

Decima quarta CII -- CV

Decima quinta CVI -- CIX

Decima sexta CX -- CXVIII

Decima septima CXIX

Decima octaua CXX -- CXXXII

Decima nona CXXXIII -- CXLIII

Vigesima CXLIV -- CL.

Eligat igitur, signetque ex his sectionibus, quam suae aptabit diligentiae, futurus disputationis respondens. Prior tempore erit potior iure, et cum magna vis sit ordinis, ex ordine Psalmodum, nostrae etiam procedent considerationes.

Concludo verbis EPHREMI Syri: *Cum Deo, inquit multis, cum hominibus paucis loquere, Psalmus in ore tuo sit assidue, quoniam *יְהוָה* Deus, cum nominatur, daemones fugat, et psalten sanctificat. Psalmus tranquillitas est animae, aestigator pacis. Psalmus amicitiae conciliator, dissidentium unio, inimicantium inter se foedus et pacificatio. Psalmus angelorum ad subueniendum inductio, praesidium timoris nocturni, requies a laboribus diurnis, infantium tutela, maioribus natu consolatio, mulieribus aptissimum ornamentum. Hic solitudines inhabitat, conciones temperat; rudibus est instructio, proficientibus incrementum, perfectorum firmamentum, et vox ecclesiae. Hic festa collustrat, hic dolorem secundum Deum operatur. Etenim Psalmus ex lapideo etiam corde lachrymas excutit. Psalmus legatorum Dei opus est, coeleste munus atque administratio, incensum spirituale. Psalmus mentium illuminatio, ac corporum sanctificatio. In hoc fratres nunquam exerceri desistamus, et domi, et extra in viis, et dormituri et excitati, loquentes nobismetipsis in Psalmis et hymnis et canticis spiritualibus. Ille autem SANCTVS et VERVS, qui habet clauem David, qui aperit, et nemo claudit, qui claudit, et nemo aperit, qui scit opera nostra, ecce dabit coram iis, qui ipsum Psalmis celebrabunt ostium apertum, quod nemo poterit claudere. Ipse cognoscit, quam modicam et exiguam habemus virtutem. Sed qui infantium linguas facit disertas, sua benedictione nostris etiam non deerit conatibus. Psalmis te celebrabimus in hac vita, donec in aeternum tuas continuabimus laudes. Tibi Saluatori nostro, cum Patre tuo, ac Spiritu oris tui, sit gloria, honor et adoratio in secula seculorum. Amen.*

P. P. Wittebergae Pridie Cal. Nou. M D C C XLV.

